



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Quotuplex sit Distinctio, & quæ signa reperiantur ad illius
cognitionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. II. Quotuplex sit distinctio &c. 349

pue, ac principaliter positivum, & negativum, inter quæ adhuc propria, & vera analogia negatur, & ideo non potest abstrahi ratio aliqua communis ab illis ad rem inferioris ordinis: sed positiva entitas est res superioris ordinis, respectu negationis, ut patet ex dictis in parentesi, magis enim distat negativa ratio à positiva, quam accidens à substantia, quam inter accidens, & substantiam datur convenientia intrinseca univoca in ratione entis, & saltem analogica intrinseca in communiori Thomistarum sententia, & ideo potest abstrahi ratio communis entis, ab accidenti & substantia, quæ non datur præcisa à positivo, & negativo, ratione carentiæ convenientiæ inter illa: ergo positiva entitas non potest dicere relationem realem ad negationem, cum sit superioris ordinis respectu illius, ut patet ex dictis in *proximalibus metaph.* cum egerimus de subiecto illius.

Ultimo probatur hæc sententia omnibus argumentis quibus id ipsum probavimus agendo de unitate.



QVÆSTIO II.

Quotuplex sit distinctio, & quæ signa repellantur ad illius cognitionem.

P R I M A conclusio: duplex datur distinctio, una realis, & alia rationis; distinctio realis est, quæ à parte rei datur sine fictione intellectus, & ut alij aiunt, quæ à parte rei vere existit, quia ens reale est quod est aptum ad existendum à parte rei, cum autem hæc distinctio sit vera, & realis sine fictione optime videtur definiti per existentiam à parte rei; distinctio rationis est, quæ per fictionem intellectus fabricatur, vel quæ solum obiective existit in intellectu; de hac longius agemus in hac *disputat.* postquam de distinctione reali in tota sua latitudine egerimus.

S E C U N D A conclusio: distinctio realis ut sic, solum dividitur in distinctionem realem absolutam, & in distinctionem modalem, seu ex natura rei, quia distinctio realis ut sic est superior, ut diximus ad utramque distinctionem; utraque enim vere existit à parte rei, sine aliqua fictione intellectus; hæc est adæquata divisio, ita ut non sit alia distinctio præter istas duas, ut male asseritur ab Scoto dum concedit distinctionem formalem; quod autem nulla sit alia præter istam, & quod fictitia debeat iudicari distinctio Scotistica longissime demonstratum manet *disput. 2. metaph. in Logicis, disp. de differentia.*

Q U O D autem datur vera, & realis distinctio in rerum natura, nullus est qui dubitet, est enim res adeo clara, ut qui illam de medio tolleret, & Unitatem huius pulchritudinem, varietatem, ac venustatem omnino everteret, & sibi ipsi iniuriam inferret, persuadendo sibi, quod neque in insanorum hominum existimationem venire posset; constat enim in rebus ipsis reperiri numerum, & multitudinem, quorum neutrum consurgere posset, nisi ex unitatibus inter se realiter distinctis; deinde corruptis pluribus, plura etiam adhuc persistunt, quod sine reali distinctione non posset contingere; insuper certum esse debet res quæ sunt inter se semel distinctæ realiter, neque divinitus idem-

tificari posse realiter, neque quæ semel idem sunt realiter posse distingui realiter, quod esto natura constet lumine, tamen inde probari potest.

Primo repugnat idem simul esse idem ipsum, & non ipsum, sive ipsum, & aliud à se ipso, sed res, quæ semel ab altera distinguitur est alia ab illa: ergo repugnat illas identificari realiter inter se. Patet consequentia, quia iam simul esset illarum quælibet ipsa, & non ipsa, vel alia à se ipsa, & ipsa.

Secundo, demus Deum res quæ sunt inter se idem realiter efficere, ut distinguantur realiter: rogo, quo pacto id Deus efficeret, vel dividendo eandem, & unam entitatem in duas, vel eandem iam productam iterum reproducendo, atque secundum diversas actiones, & productiones quas terminat illam multiplicando, vel somniat insanus id affirmans modum alium quo id possit Deus efficere; ego enim illum, nec cogitare possum, at non primo, neque secundo modo: ergo nullo; non primo, quia Angelus, item & animus rationalis sunt entia indivisibilia: ergo non poterunt distingui realiter à se ipsis per divisionem, neque in seipsis per separationem. Secundo, quia neque in materialibus, & corporeis, nam divisio in illis, vel esset essentialis vel integralis, hoc est vel terminaretur ad partes essentielles vel ad integrales: at neutra efficere potest, ut id, quod erat idem secum se differat à se ipso realiter, divisio enim essentialis terminata ad animum, & materiam solum dissolvit harum inter se unionem, quæ non minus realiter differunt corrupta unionem quæ unitæ inter se in toto composito, ut de se patet; divisio etiam integralis non efficit partium integralium inter se actualem distinctionem, sed illam potius supponit, & evitendo unitivam eas inter se solum disjungit efficitque, ut quæ in composito integrali corruptæ erant, solum partes distinctæ ratione diversorum terminorum intrinsece easdem terminantium habeant rationem totius, & ut talia distinguantur: ergo, neque item Deus id potest facere eandem rem bis producendo, quia inde solum fieri actiones solum productivas ex natura rei distingui, non tamen terminum illarum, sed eundem, utramque vel plures actiones terminare ut de se patet: ergo.

Quibus positis, difficilis est assignatio definitionis essentialis distinctionis, quæ realis vocatur, nam tot sunt sententiæ, quot capita.

Basolis enim in 2. dist. 22. q. 2. art. 1. post medium, distinctionem realem ita definit: illæ sunt distinctæ realitates, quæ sunt aliqua positiva extra intellectum, non eadem per se primo modo, & quorum neutrum ex sua immensitate includit realitatem alterius.

Basoli resistit Gil. lib. 2. tract. 5. cap. 3. num. 11: aitque distinctionem traditam, & definitam communem esse rebus & modis, modi enim imprimis sunt quid positivum; deinde sunt etiam extra intellectum: tandem tam inter se, quam à rebus, quarum sunt modi distinguuntur per se, primo modo hoc est non sunt eadem inter se per se primo modo, sive ut definitio definitum. Postremo ultimam particulam, & quorum neutrum, &c. confutat inde, quia plura sunt, ait, in creatis, quæ finita sunt, & limitata incapaciaque immensitatis, quæ solum inter se distinguuntur formaliter, & quorum quodlibet realitatem alterius includit.

Neutrum probo, non Basolem, primo quia obsecure, ut assolent Scotistæ realem distinctionem de-

X x 3 finit,

finis, secundo quia tota definitio secundum omnes partes adaptari potest ijs, quæ ex natura rei solum inter se distinguuntur; de primis constat ex impugnatione facta Gylio; de vltima vero ex hac clarius, quia in creatis neque res, neque modus habet immensitatem; itera vtrumque est extra realitatem alterius, loquendo de realitate, prout comprehendit omnem entitatem non fictam, sed existentem à parte rei, vt de se pater: ergo Gylius quoque displicet, quia confutans vltimam particulam dixit in rebus creatis pleraque solum formaliter inter se distingui; ostendi enim supra id esse falsum contra Scotistas, reiectis itaque alijs definitionibus sic potest describi distinctio realis, quæ nihil aliud est nisi illa quæ reperitur inter duas entitates absolute reales, quarum vna non est alia, vel est alia ab alia absolute à parte rei per esse ratum, ac firmum: per illam particulam à parte rei, excludo omnem distinctionem rationis; per illam particulam inter duas entitates absolute reales, reijcio distinctionem inter entitatem positivam, & possibilitatem, & quamcumque aliam negationem, negatio enim non est entitas: per illas particulas ratum, ac firmum esse, reijcio modalem distinctionem, quia modi non habent esse ratum, neque firmum, hoc est entitatem stabilem ex se, cum ex natura, & quidditate sua sint solum realium entium determinationes, & affectiones, res enim absolute reales vocatur, quæ ita est firma, stabilis, ac rata, vt possit existeret separata ab alia saltem de potentia absoluta; vnde distinctio, quæ inter tales entitates reperitur, realis, ac realiter dicitur, v. g. distinctio, quæ datur inter hominem, & Angelum, quantitatem, & materiam primam.

70 Iterum distinctio realis vt sic dividitur in positivam, & negativam, positiva distinctio est quæ reperitur inter duas entitates positivas actualiter existentes, v. g. inter Petrum, & Paulum, & quia totum esse distinctionis sumitur ab extremis, & extrema sunt positiva, distinctio etiam positiva denominatur, negativa est quæ reperitur, vel inter duas negationes realiter, vt inter duas possibilitates creaturarum, vel inter cæcitatem, & tenebras, aut quæ reperitur inter vnum positivum extremum, & aliud negativum, vt inter spatium positivum æris, & negativum, quod est vacuum supra vel extra cælum, & hæc vocatur negativa, vel quia vnum illorum extremorum non habet realitatem, quam habet aliud absolute, si ens positivum, & reale sit, vel quia vtrumque nullam habet realitatem absolute, quia est ens privativum, aut negativum, vt cæcitas, & tenebræ, quæ ita separantur, ac distinguuntur, vt si positivæ res essent realiter distinguerentur absolute; vnde hæc vltima distinctio negativa, per proportionem & analogiam ad positivam intelligenda, & declaranda est.

71 Primum signum distinctionis realiter, vel realis evidentia metaphysica absoluta, quæ neque patitur exceptionem, divinitus est realis, & absoluta separatio secundum esse, & non secundum aliquam rationem, vel secundum quid, scilicet vel in ordine ad locum, vel in ordine ad operationem, vel in ordine ad prædicata contradictoria; non primum, quia idem corpus potest esse separatum à se ipso realiter secundum locum, vt docet fides catholica in Christi Domini Corpore existente in cælo, & in solo simul, dum est in hostia consecrata, & dum existit ad dexteram Patris simul, vbi cum absoluta identitate rei datur separatio secundum

quid, hoc est in ordine ad locum, eadem enim entitas Christi existit in duobus locis realiter separatis inter se simul, & ideo talis præsentia Christi, vel talis existendi modus in illis locis, vocatur separatio secundum quid, vel in ordine ad locum; nec secundum, quia ratio animalis in homine, habet convenientiam cum equo quam non habet rationale in ipso homine; vnde animal, & rationale separantur quoad convenientiam in homine, & nihilominus animal, & rationale non distinguuntur realiter; vnde signum evidens distinctionis realis non est illa separatio sed separatio, quæ absolute secundum esse vocatur, v. g. quando vnum corrumpitur, & destruitur ac desinit esse manente alio, cum enim corrumpitur vna res, corrumpuntur etiam omnia, quæ sunt idem cum illa; nam si corrupta vna manet alia; rogo, si idem an diversa, ab illa? si diversa, non ad rem; si idem: ergo idem corrumpitur, & conservatur simul: sed illud quod conservatur, est absolute dum conservatur, & illud quod corrumpitur prout sic non est absolute: ergo si idem corrumpitur, & conservatur simul, idem simul erit, & non erit, quod est contra evidentissimum, ac primum principium metaphysicum, impossibile est idem simul esse, & non esse.

Secundum signum est quæcumque realis oppositio præcipue vera contrarietas inter aliqua entia, quatenus talia sunt absolute, dum tamen oppositio vera, & sine fictione sit, quia impossibile est, quod idem realiter sibi ipsi realiter opponatur, & sic impossibile est, quod eadem entitas sit cæca & videns, alba & nigra, æqualis & inæqualis, Pater & Filius respectu eiusdem.

Huic signo adiungitur aliud, quod idem non possit esse causa, & effectus respectu eiusdem in prima productione, quæ productio de novo dicitur, quia illud quod producit primo, ac de novo, non erat dum producebatur vel pro priori natura ante productionem, illud autem quod producit de novo est pro illo priori, vel dum producit, & ratio est, quia illud quod de novo producit, ideo producit vt accipiat esse, quod non habebat, illud autem quod de novo producit, ideo producit, quia habet esse, quod communicet effectui, nemo enim dat, quod non habet, sed idem non potest esse, & non esse simul: ergo idem non potest esse causa, & effectus de novo respectu eiusdem, licet idem possit reproduci à seipso, quia reproductio non est productio de novo.

Vltimum signum distinctionis realis absolute est quando duæ res absolute sunt in diversis suppositis, & quando non vniuntur inter se, v. g. Petrus, & Paulus non sunt idem, nec albedo Petri, & albedo Pauli, dicitur signum evidens non evidentia metaphysica, sed physica, & naturali, nam eadem albedo potest esse divinitus in Paulo, & eadem natura potest divinitus suppositari suppositi talitate divina, & humana, vt sine dubio potuit humanitas Christi Domini.

Distinctio realis modalis est quæ intercedit inter rem absolute, & modum, vel inter modum, & modum, v. g. distinctio, quæ datur inter vbi, & quantitate, vel inter actionem, & figuram, inter quæ vera distinctio datur sine fictione intellectus, quæ distinctio quamvis generali vocabulo possit vocari realis, quia vere est à parte rei, & non per denominationem, vel fictionem intellectus, tamen ad distinguendam illam ab alia maiori distinctione reali possumus illam appellare, vel distinctionem

Quaest. II. Quotuplex sit distinctio. 351

inctionem ex natura rei, applicando illi tanquam imperfectiori generale nomen, quod visitatum est, licet proprius vocari possit distinctio modalis, quia vel ambo vel vnum saltem extremum illius distinctionis modus est.

76 Sed ut intelligatur hæc distinctio adverte, cum P. Suárez in rebus creatis præter entitates earum quasi substantiales vel radicales, ut ita dicam inveniri quasdam realitates quas modos vocamus, quæ & sunt aliquid positivum, & afficiunt ipsas entitates dando illis aliquid quod est contra essentiam totam, ut individuum, & existentem in rerum natura illius, quod afficit modus, aut patet inductione; nam v. g. in albedine, quæ est in quantitate duo considerari possunt, & ut melius loquar in ipsa quantitate, vnum est entitas ipsius quantitatis, quæ perseverat nunc post consecrationem Hostiæ, & post defensionem substantiæ panis, quo argumento convincitur talem quantitatem esse absolutam, cum saltem divinitus possit conservari separata sine substantia, cuius est quantitas, quod nullo modo nec divinitus potest fieri in modo, aliud enim est unio; seu actualis inherencia quantitatis ad substantiam, quæ post consecrationem definit esse: primum vocamus simpliciter rem albedinis includentem, quicquid est de essentia albedinis individuae, & in rerum natura positæ, vel etiam includentem, si loquamur de quantitate, quicquid est de essentia quantitatis: secundum id est inherenciam, seu unionem appellamus modum quantitatis, non quidem illa generali significatione, qua omnis qualitas modus substantiæ solet appellari, ut ait D. Thom. 1. 2. quæst. 49. art. 2. neque etiam, qua omnem differentiam contrahentem, ut rationale solemus modum appellare, nec etiam sumitur hæc vox in illa generalitate, qua modus dici solet omnis determinatio vel limitatio præfixa unicuique rei finitæ iuxta mensuram eius, ut eodem loco notavit D. Thom. ex Aug. lib. 4. de Genes. ad liter. c. 3. dicente modus est, quem mensura præfigit, quo modo etiam ait Aug. lib. de natura boni, cap. 3. ex tribus necessarijs ad uniuscuiusque rei creatæ bonitatem, quorum duo sunt species, & ordo tertium esse modum, id est debitam commensurationem ad sua principia, ut explicuit D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 5. & 12. & quæst. 85. art. 4. sed ab hac generali ratione modi recedendo, & applicando illam ad rem præsentem appellatur inherencia modus qualitatis, quia est aliquid illam afficiens, & quasi ultimo determinans statum, & rationem existendi eius, non tamen addit illi propriam entitatem novam absolute, sed solum modum præexistentem; nam quod novam entitatem non afferat, vix potest in dubitationem venire, quia si esset nova omnino entitas, non posset esse actualis unio inter qualitatem, & quantitatem, aut inter quantitatem, & substantiam; sed ipsa potius indigeret quod subiecto uniretur, si aut qualitas, aut quantitas ipsa indiget unione, qua proprio subiecto uniat, quod si inherencia non indiget alia unione vel inherencia, qua uniat, ideo est, quia ipsa per se non affert propriam absolute realem entitatem, quæ inherere, & uniat: sed est tantum quidam modus qui per se est ratio unionis, & inherencia, cuius signum etiam est, quia hæc inherencia habet talem modum essendi ut per nullam potentiam esse possit nisi actu coniuncta ei formæ, cuius est

inherencia, & quod hæc inherencia numero non possit afficere, seu potius unire, nisi hanc numero formam, cui est, veluti affixa, quia afficiendi modus nunquam reperitur in his formis, vel rebus quæ proprias ex se habent entitates absolute; hoc igitur genus entis dicitur modus, cuius ratio in hoc videtur consistere, quod ipse per se non sufficit constituere ens, seu entitatem in rerum natura: sed intrinsece postulat, ut actu afficiat entitatem aliquam sine qua esse nullo modo potest, ratio autem ponendi hos modos à posteriori sumitur ex inductione facta, tam in inherencia qualitatis vel quantitatis, quibus addere possumus actionem agentis, quæ nec potest oriri nisi ab hoc agente, nec terminari nisi ad hunc effectum, ratio autem à priori esse videtur, quia cum creaturæ sint imperfectæ, ideoque vel dependentes, vel compositiæ, vel limitatæ, vel mutabiles, secundum varios status præsentiae unionis, aut terminationis indigent his modis, quibus hæc omnia in ipsis compleantur, quia nec per entitates omnino distinctas hoc semper fieri necesse est, imo nec commode intelligi potest, nec etiam fieri per id, quod sit omnino nihil, aut privativum, & ideo saltem requiritur ad hoc, quædam realitas media inter rem absolute positivam, & extremum negativum, aut privativum, quam realitatem modum vocamus.

Signum sufficiens distinctionis modalis, non autem realis absolute est separatio unius ab alio, quæ solum est non mutua; id est in qua vnum extremum potest manere sine alio, aliud autem extremum non potest manere, sine alio extremo. Prior pars satis probata manet supra disp. 1. quæst. ultima, vtrum Metaphysica sit simplex qualitas, conclus. 2. contra P. Vazquez. Secunda pars sic probatur, quia ex huiusmodi separatione non mutua recte convincitur eam rem quæ potest manere destructo alio extremo habere per se suam realitatem, independentem intrinsece, & entitative, seu essentialiter ab illo extremo, quod destrui potest ipsa manente entitate, ac proinde proprie esse rem; non autem inde potest, concludi aliud extremum, quod destrui potest habere ex se propriam entitatem; quia ut supponitur, illud extremum tale est ut manere nulla potentia possit, sine altero, vel cum altero: sed ad hoc sufficit, ut sit modus eius, quia hoc est intrinsece de entitate, & essentia modi, ut per se manere non possit, nec separari actu, ab eo cuius est modus: ergo ex prædicta separatione non potest concludi maior distinctio, quam modalis.

Distinctio modalis dividitur in positivam, & negativam; positiva est inter extrema positiva, negativa est quando est inter duo extrema, ex quibus aut vnum est negativum, aut ambo extrema, dum tamen tale extremum negativum ita coniunctum sit alicui positivæ entitati, ut nec per potentiam Dei absolutam talis negatio possit existere separata extra subiectum, ut est cæcitas seu carentia rectitudinis in peccato, & omnes carentiæ, seu privationes modorum, aliæ namque dantur negationes, quæ separatæ conservantur à rebus quarum, ut sunt possibilitates creaturarum, & vacuum, quod est supra cælum, quæ conservantur sine entitatibus positivis, quod non habet cæcitas, quæ nec per potentiam Dei absolutam, potest consistere separata à re cuius cæcitas est; & ideo possibilitas, & vacuum vocantur reales negationes absolute, cæcitas au-

tem,

rem & alia huiusmodi modales solent nuncupari, quia modis in hoc maxime assimilantur. Vltimo dividitur distinctio, tam modalis, quam realis, in distinctionem includentis ab inclusio, & excludentis ab exclusio, distinctio excludentis ab exclusio est, quæ reperitur inter duas entitates, quæ non se includunt ad invicem, sed mutuo se excludunt in propria constitutione, ut est distinctio quæ reperitur inter actionem qua producit Petrus, & actionem qua producit Ioannes, & inter præsentiam Romæ, & Lime, si autem fuerit hæc distinctio realis, erit inter Ioannem, & Petrum, materiam primam, & formam; distinctio includentis ab inclusio est quæ reperitur inter partem componentem, & totum compositum, quia talia extrema sunt eiusmodi, ut cum vera, & reali distinctione vnum includatur in alio, pars enim distinguitur à toto, ut anima ab homine, & includitur in ipso toto, & ideo hæc distinctio includentis ab inclusio dicitur.



QVÆSTIO III.

Verum in sententia Scoti detur à parte rei distinctio formalis actualis, media inter realem & modalem, distinctaque à virtuali.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia est negativa, quam defendit P. Suarez lib. 4. de Trinitate, c. 4. num. 2. & 5. adstruens Scotum solo nomine differre à scientia communi, eandem sententiam sequitur P. Hurtado disp. 6. de distinctione, sect. 3. num. 63. §. his constituit, ubi sic ait, opinor Scotum non constituisse distinctionem ex natura rei, quam etiam vocat formalem pro distinctione vlla actuali simpliciter, sed tantum pro distinctione virtuali fundante distinctionem rationis.

Prima pars huius conclusionis probatur ab eodem Hurtado, sic ex Scoto, in 1. dist. 1. q. 7. §. sed hic restat ulterior difficultas, ait, relationem à parte rei, & non per actum nostri intellectus esse incommunicabilem, naturam vero communicabilem, ex quo inferri esse aliquam distinctionem inter illas formalitates ante actum intellectus, sed ante illum; unde probat non esse vnam entitatem vnius, & eiusdem rationis, alioquin tota entitas formaliter communicaretur, & consequenter paternitas; hæc autem omnia tantum probant secundum genus distinctionis virtualis, & Scotus ipse ait, actui distinguenti respondere diversas formalitates obiectivas, cum quo conveniunt reales omnes, præsertim Thomistæ; hoc autem his verbis asserit Scotus, sed num hæc distinctio est realis? Respondeo non proprie est realis actualis, intelligendo sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu, quia in vna persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis;

potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio sumatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate secundum quod quidditas est obiectum intellectus: hæc Scotus. Secundam partem suæ conclusionis sic probat Hurtado his verbis Scoti, vel alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud quod habet realem distinctionem in se non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter quasi duas realitates, quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta, ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset vna res, & illa alia: ecce distinctionem Scoti ex natura rei explicatam ab eodem Scoto non modo eodem sensu, quo mysterium incarnationis, & Trinitatis exponitur à Theologis recte sentientibus.

Secundo probatur hæc interpretatio Scoti, quia ipse simplicitatem admittit, & negat compositionem tercio, quia vocat eam distinctionem minimam inter eas, quæ sunt in obiecto, quia in se ait non esse actualem, realem, nec potentialem, sed virtualement.

SECTIO II.

Nostre sententia ponitur, & probatur.

Conclusio: In sententia Scoti datur distinctio à parte rei formalis actualis, quæ non est virtualis, & est media inter modalem, & realem.

Probatür prima pars ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. §. 5. in §. ubi sic ait; ita adhuc ultra omnes est identitas formalis, voco autem identitatem formalem ubi, illud quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem, in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo, in proposito autem essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, neque è converso, & ideo potest concedi quod ante omnem actum intellectus est realitas essentia, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, quæ suppositum est incommunicabile, & ante actum intellectus; hæc realitas formaliter non est illa, vel non est eadem formaliter illi, quod confirmat in 1. dist. 15. q. 1. ubi sic ait; [Dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus considerans A, & considerans B, habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, non tamen præcise, ex aliquo actu intellectus circa A, & circa B.] quid clarius, in quibus verbis duo asserit expresse Scotus: primum quod divinitas distinguatur formaliter à relatione constituente cum ipsa suppositum. Secundum quod asserit expresse Scotus est hanc distinctionem formalem non esse per rationem, aut per intellectus fabricationem confectam, sed potius existentem à parte rei, ut patet ex illis verbis, & ideo potest concedi, quod ante omnem actum intellectus, &c. & in illis verbis [dico, quod in essentia divina, ante actum intellectus, est entitas A,] &c. nā quicquid est per rationem ut entitas A, non est ante actum intellectus, densissimum est, non est ante actum intellectus, quia cum id, quod per rationem est, sit quasi effectus intellectus, & effectus actus illius, & effectus actus intellectus, inde evenit quod id, non possit esse ante causam, inde evenit quod id, quod